DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIARRHOEA.

W. McIntosh
with best wishes
from his sincere
friend & obedient
servt
The Author.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DIARRHOEA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

JACOBUS SKELTON GILLIAM,
VIRGINIENSIS,

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

†


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Patri ſuo honorando,

Et cariſſimo,

R O B E R T O   G I L L I A M,

Armigero,

Petropoli in Virginia,

Propter amorem vere paternum,

Et curam in regendis ſtudiis poſitam;

Item,

Viro erudito et praecellenti,

T H E O D O R I C O   B L A N D,

De Cawſon,

In Virginia,

Qui animi optima quaque dote praeditus,

Ampliſſima civitatis munera,

Et bello et pace, ornatiſſime expleverit,

Ob amicitiam,

Qua ſe ſemper dignatus eſt;

Et

Et

Viro illuſtri,

ALEXANDRO GLASS STRACHAN, M. D.

Inter Virginienſes artem feliciter exercenti,

Amico ſuo dilectiſſimo;

Scientia,

Ingenii benevolentia,

Morumque urbanitate,

Nemini ſecundo;

Ob plurima beneficia,

Quae in ſe contulerit,

Dum tutela et domo ejus feliciſſime uſus fuerit;

Nec non,

Viro eximio

C A R O L O D U N C A N,

Armigero,

Omni virtute, quae civem et amicum decorat,

Ornato,

Sibi cariſſimo, et nunquam ſatis colendo;

Denique,

Denique,

Amico ornatissimo,

JOANNI SKELTON,

Armigero,

Novi-Castelli super Tynam,

Ab omnibus, quibus familiaris est,

Jure aestimato;

Postremo,

JOANNI GILLIAM,

Armigero,

Fratri optimo, et dilectissimo,

Propter amorem, qui inter sese,

Ab ineunte aetate,

Intercesserit;

Hanc dissertationem inauguralem,

Primum suum in arte salutifera laborem,

Ea, quam illis reverentia debet,

D. D. CQ.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIARRHOEA.

ETSI plurima eorum quae de diarrhoea referam, parva forſitan, et levia memoratu videri, haud neſcius ſum; veniam tamen, penes ingenuos, mihi impetrabilem fore ſpero. Praeterquam enim, quod rariſſime propoſitum fuerit, de variis hujus morbi ſpeciebus generatim diſſerere, obſervationes ſinceriores apud pleroſque auctores, qui eum depinxerint, hypotheſi adeo contaminatae inveniuntur, ut ex iis nullos fere fructus percipere poteſt inaſſuetus.

Diarrhoeae definitio a Sauvagesio prolata, nempe, *excrementitiorum humorum frequens ac intempestiva dejectio*, prae caeteris considerari meretur, tum ob auctoris scientiam, tum quia vestigia hujus fere secuti sunt nosologi. Ea autem neutiquam proposita est, ut generi, lienteriam, coeliacam, aliasque species deinde memorandas continenti, competeret, neque diarrhoeam a dysenteria discriminat. Et inde est, quod Linnaeum aut Vogelium seorsum introspicere praeterea, sine usu esset; Sauvagesio enim adsensisse videntur, ac nihil super hac re in ipsis novum habent. Sagarus autem, more suo solito, fusior est, quam nosologiae convenit, ut definitione ejus disci potest, nimirum, "Est recrementorum, et excrementorum ut plurium fluxilium, frequens per anum dejectio, notabilis, constans, adeoque morbosa." Sed, quoniam primo apparebit aspectu a prioribus haud multum diffidere, quod memoraverit, penitiore contemplari scrutatione, alienum videretur. Postremo, diarrhoea a Culleno perillustri finitur, *dejectio frequens, morbus non contagiosus, pyrexia nulla primaria.* Neque definitio, qua utemur, ab eo multum discrepat, nem-

pe,

pe, Frequens et copiofa dejectio, plerumque fine vehementi fenfu doloris, vel pyrexia primaria.

Hic morbus a Graecis διαρροια απο του διαρρεειν, et a Latinis ventris fluxus nominatus fuit. Sed duplex epitheton nofologiae minus convenit, et in ejus fyftematibus ufurpatur diarrhoea.

Species ejus inter fe variant, vel prout pro materia habeant, mucum, lympham, lacteum humorem, chylo fimilem, bilem, cibum vix mutatum, pus, et materiam ferofo-cruentam, vel pro horum inter fe mifturis diverfis, aliafve res non bene determinatas *. Hinc varia nomina, ut puta,

* Tulpius, exempli gratia, cafum mulieris gracilis ac tenerae narrat, quae afflicta frequentius, five a febri tertiana, five ab obftructo liene, excrevit tandem fingulis diebus quatuordecem amplius menfes, plurimum flavefcentis adipis incumbentis ftercori, inftar butyri liquefacti. Sed ea plerumque copia, ut potuiffet, modo quis illum colligiffet, repleri aliquot vafcula. Carbonibus injectus edebat flammam fatis lucidam, et remanens aliquandiu in excretis refrigeratis concrefcebat inftar durioris adipis. Et deinde addit, quod fumme admirandum, prodibat femper fine torminibus, fine macie, nedum febri colliquativa. Vid. Tulp. obfervat. med. cap. xviii.

puta, diarrhoea mucoſa, bilioſa, coeliaca, lienteria, et haepatirrhoea, illis fuerint indita; et harum hiſtoria generalis, utcunque difficilis, adgrediendा eſt.

Initio morbi, venter murmure circum quodam fluctuante increpat, dein dolor ſive gravitatis ſenſus a lumbis, ſive umbilici regione, ad ventrem inferiorem extenſus, oboritur. Qui non ſolum dejectionem alvi, ſed aliquando nauſeam aut vomitum excitat. Saepius vero tantum ſolvitur alvus, et deinde aeger ſe melius habere videtur. Atque brevi poſt, incertis tamen intervallis, eadem ſigna moveri ſolent, ac iiſdem ſtipantur effectibus. Verum nulla febris adeſt, neque dolores violenti cientur: Ac ſane morbus ſaepe levis, et ſive ſua ſponte, ſive remediis adhibitis, cito cedere ſolet.

Si tamen aliquamdiu permanſerit, aut vehemens fuerit, vultus pallor, cibi faſtidium, perſpirationis * ac urinae imminutio, ſitiſque excipiunt.

* Sicut inter aphoriſmos ſtaticos Keill id repertum eſt,

cipiunt. Teneſmus levis inſtat, totum corpus in maraſmum deducitur; crura tument, et hydrops generalis, rarius quamvis, tamen ſequitur aliquando. Ubi autem vitae finis aegro appropinquaverit, ſudore egelido, viſcido, atque plerumque ingenti ſuffunditur: Alvuſque, noctu et interdiu ſimiliter, citiſſima fit.

Qui notas diarrhoeae juſto examine conſideraverit, is a dyſenteria, omnibuſque aliis morborum generibus, illas diſcriminare poterit. In diarrhoea doloris ſenſus ſive tolerabilis, ſive nullus eſt; et dejectiones, ſine ſanguinis miſtura, febri primaria, vel foecum naturalium retentione, frequentes ſunt. Quibus in dyſenteria, omnia prorſus contraria ſunt. Quinetiam inter diarrhoeam et choleram diſcrimen eſt: Huic

eſt, *medicamenta purgantia perſpirationem non impedire*, idem cum venter aliis de cauſis fluit, evenire crederes. Iſtiuſmodi tamen opinioni, uti corporis ſtatus diverſi illas conſequuntur, humorque minor ex aëre reſorptus, tantum virum fefelliſſe potuiſſet, vix aſſentiendum eſt: Praeſertim vero quando, hiſtoria medica, rem aliter ſe habere, univerſe teſtatur.

Huic ſurarum ſpaſmi ſuperveniunt, et ampla copia bilis e ventriculo et inteſtinis ejicitur. In illa autem ejuſmodi phaenomena nunquam ſeſe oſtendunt. Praeterea, ſi notae morbi alioquin ancipites ſint, notandum eſt, quod prout cholera ſecus ac diarrhoea tentatos, ſymptomata violentiſſima exercent, ita ſumma debilitas breviore poſt tempore, quam inceperint, enaſcitur.

Opportunitas ad diarrhoeam, e nimia corporis totius, ac ſpeciatim fibrarum inteſtinorum muſculoſarum mobilitate *, conſtare videtur; quae pro ſyſtematis imbecillitate minor majorve in genere futura. Ea, tamen, cum vigore, licet rarius, juncta obſervatur. Neque aliquis eſt, ut credo, qui negabit, poſſe hanc rem incidere, utcunque ambigua, ratio qua fiat, manſura erit, ſi ſecum meditetur, quam frequenter diarrhoea morbillos, alioſque morbos phlogiſticos, ſequitur, et quomodo, Sydenhamio expertiſſimo teſte, curari oportet. Quinimo nihil occurrit, ut egregie

* Per mobilitatem ſignificatur tantummodo facultas, qua fibrae muſculoſae ad ſtimuli contactum ſe contrahunt.

gie demonſtrat phrenitis, quo minus hi ſtatus corporis diverſi eodem tempore exiſtere poſſint.

Stimuli diarrhoeam concitantes a fideliſſimis auctoribus memorati ſunt; neque ſi avebat animus, in poteſtate noſtra, ab illis ut multum deflectere collocatum eſſet. At primo quidem his ſalina, venena, putria, et horum effluvia annumerari poſſint: Et cibus quoque, ſi ad ingluviem ingeſtus fuerit. Verum fateor, valetudine extante, perdifficile futurum, alimentum adeo copioſum devorare, habita ſubinde ratione virium digeſtionis, ut diarrhoeam excitet, niſi qualitate etiam laederet. Siquidemque helluones, qui nobis familiares fuere, diarrhoea non ſemel laborabant, niſi eſculentorum genus ſuſpici etiam poſſet; ac ſane crediderim, rem in genere ita eventuram.

Nimia copia bilis, ſucci pancreatici, muci, et liquoris ex arteriis exhalantibus, in inteſtinis effuſa, alvum etiam cient: Mutationes vero quas tulerint, ſi aliquae ſint, ut hunc effectum ederent, quoniam ſenſus penitus ſubterfugiunt, ita inter pathologos aliquid diſcordiae moverunt. Sentimus autem ſuper hac re,

ſtimulum

ſtimulum ex horum quantitate inteſtinis impertitum ad eventum efficiendum ſatis ſufficere. Sed hujuſmodi controverſiam penitius ſcrutari ad rem non pertinet: Propemodum ambae ſententiae ad eaſdem conſecutiones trahunt. Conceditur utrinque, ipſa poſt ſtimulando, quam ad inteſtina adhibita fuerint, diarrhoeam efficere.

Acida et aceſcentia in cauſis hujus morbi etiam ſunt. Quomodo autem eum efficerent, inter pathologos ambigitur. Neque dijudicare auſim, num poteſtate directe ſtimulante agant, proprietatemve diverſiſſimam exerendo, ſeminium augeant, ideoque nociva fiant. Ut vero alvus in plagis meridionalibus, quam frigidis, inde rarius exercetur, ſic probabile eſt, bilis cum illis miſturam non laeſuram.

Inflammatio inteſtinorum eryſipelatoſa eoſdem effectus habuit. Et interdum, poſtquam venter effluere ceſſaverit, vomitus vehemens ſupervenit, et paulo poſt circa fauces erumpit erythema, ita ut ſuſpiceres, id inteſtina, ventriculum, et fauces viciſſim obſediſſe *.

Alimenti

* Cullen. ill. praelectiones.

Alimenti quoque mutatio, ſi praeter conſuetudinem ſit, alvum ſolvit. Ex amico ingenioſo, qui chirurgiae artem per tres annos in India Orientali exercuit, diſcimus, praefectos et milites, qui vinclis Hyder Ally abſoluti ſunt, in quibus, plurimis menſibus, oryza et capſico aſſiduo paſti ante tenebantur, diarrhoea laboraviſſe, ſi quando cibum animalem, niſi minimam quantitatem, aſſumpſerint. Ac indigenae quibus mos eſt oryza vivere apud Cudalore obſeſſi, dein poſtquam carnem devorare cogebantur ſimiliter perpeſſi ſunt. Ita etiam navigans, qui plurimis hebdomadis victum ex animalibus confectum comeſt, vegetabilibus purgatur.

Aliae caeterum cauſae praeter enumeratas nocere reperiuntur. Sic teſtimonia quotidiana non deſunt, ubi vermes hujuſmodi malis moleſti fuerunt. Forte et contagio huc referenda. Plerique vero ejus ſuſpicionem repudiavere, quaſi a morbi crebritate profluentem, quae, ad quidlibet firmandum, quoniam tot aliae res, ac praeſertim aëris et diaetae permutationes, in eundem finem conſpirent, neutiquam proficere poteſt.

Haec tamen cuncta, multaque istiusmodi alia, quae omni ex ore evenire solent, aliter sentientes convincendo non satis sufficiunt, et forte quaestionem universam in medio linquere satius foret. Verum extiterunt exempla, ut ipsi in partibus Americae interioribus vidimus, ubi a frigore et morbillis, ventris fluxus ortus est, quamvis et sub prima ejus scaturigine, ut adsolet, ne quidem suspici posset contagio, nullo nempe cum dysentericis commercio praeveniente, tamen deinde cum is in deterius inclinavit, manifeste contagiosus evadebat, quique assiderunt, similiter correpti sunt, donec totas pervagatus est familias. Quae ut crederem, demonstrarent saltem, quod quaedam diarrhoeae causae morbum contagiosum generali ab ejus facie gradu tantum discrepantem efficere possint. Nec sane multum interest, sive eum dysenteriam, sive diarrhoeam contagiosam nuncupaveris.

Practicorum observatis nondum decisum est, an hic morbus ex adipe aliis cum cibis ingesto effluere possit. Tamen, quoniam sevum concoctu difficillimum existere, experimentis invenitur,

nitur *, nihil obſtat, quominus, pariter ac alia alimenti genera, ſi nimia copia aſſumptum fuerit, inteſtina offendat. Solet vero parum affligere. Erat, qui id ſolum aliquandiu depaſtus, inde caeteris e cibis plus nutrimenti acquiſivit. Atque quaedam e gentibus borealibus, ubi frigus organa concoctionis firmare videretur, oleo cete rancidulo impune veſcuntur. Quae e moventibus alvum vix evenirent.

Denique, inquirendum reſtat, num electricitas in aëre coacervata, diarrhoeae faciendae ſatis ſit. Id poſſe fieri, ex eo perquam probabile redditur, quod familiaris et ingenioſus amicus Samuel Latham-Mitchell, Americanus, de femina habitus delicatioris, hoc ad propoſitum mecum communicatus eſt, quae quotieſcunque tonitrua fuerint, diarrhoea correpta eſt, atque ex iis effectus adeo inſignes fuerunt, ut aliquot ante horas, illa fore eventura, alvo perturbata, praeſentire quiret: Pavore tamen non terrebatur, neque

* Vide Experiments on Digeſtion by Mr Goſſe, appendix to the tranſlation of Spallanzani.

neque imbribus ſolis, aliquid mali paſſa eſt. Sive vero medii ambientis vires mutando, ſive ſimpliciis, ſtimulando, illa egit, dijudicatu difficile eſt.

His conſideratis, quaſi per ſuum ſtimulum in inteſtinis agentibus, nunc quibus, vel in toto corpore vel in ejus partibus, vitiis, idem morbus cieri poteſt, quantum inſtituti ratio patitur, memorandum. Quantopere meſenterii glandulae obturatae, ulceraque partium cum inteſtinis commercium ſpeciale obtinentium in hunc finem conſpirent, medicorum monumenta ſatis oſtendunt: Nec eſt, ut credo, qui id negabit. An vero idem ex infirmitate vaſorum lacteorum, ſanguiniſve in inteſtinis effuſione accidat, non adeo liquet. Animi autem perturbationes, ut timor et ira, exanthemata, febres, dentitio, hydrops, iſchuria renalis, et arthritis, ſimiles noxas illis praeſtiterunt; nihilque ad eas magis conferre poteſt, quam perſpirationis imminutio. Unde frigus et humor, ſiquidem id praeſtant, inter diarrhoeae cauſas annumeranda.

Quod

Quod ad horum operandi modum pertinet, notandum eſt, quod materiae ab aliarum partium ulceribus, vel obſtructione, ad inteſtina tranſlatio, illa ſtimulando diarrhoeam efficit. Frequentiſſime autem evenit, ut ea res ſuſpici nequeat, et venter, ex relatione inter illum reliquumque corpus exiſtente, affici duntaxat videretur. Diarrhoeam a febribus, exanthematibus, arthritide, et mentis pathematibus, hoc modo fieri crediderim. Acritas enim morboſa, quae nocere exiſtimatur, in ſanguine circulante his laborantium minime deprehenſa eſt. Atque ſerum, quacum ad inteſtina tranſire exiſtimata eſt, putredini, quam globuli rubri, minus obnoxium eſt. Praeterea, ſedes interiores, quoniam in varioloſis cadaveribus a puſtulis liberae et mundae inveniuntur *, actioni varioloſae reſiſtere quodammodo viderentur. Quinimo puſtularum deſquamationem diarrhoea haud raro ſequitur, ubi materia variolarum e corpore fere eliminata

* Vid. Bonet. in Sepul. Anatom. tom. 3. obſ. ix. N. 1. p. 23. Peyer. filii obſerv. anat. xi. Haller. Opuſc. Pathol. obſ. xliv. Cotun. de ſedibus variol. cap. lxiv.

eliminata eſt. In febribus autem praecipue, ratione acrimoniae exiſtentis medicorum ſententiae differunt; neque ideo philoſophiae ſanae congruens eſſet, inde diarrhoeae cauſam, illis ſupervenientis deducere. Sin iſta, juxta nonnullorum ſententiam, admiſſa fuerit, nihil prohiberet, quo minus caeterae cauſae, prius nempe vitiatis partibus ſolidis, canali inteſtinali, in actum morboſum deducendo ſufficerent. Infirmitas corporis totius, pariter et partis, uſitati interventu ſtimuli, illud efficere valet; et quidem praeterea fluidorum degeneratio tanquam cauſa hujus mali proximior immerito adſcripta fuiſſe videtur; quatenus id in calidis quam frigidis climatibus rarius ortum eſt.

Poſtremo, quod ad conſortium inter arthritidem et diarrhoeam attinet, nullus dubito, quin, corporis ſtatus huic patens, increſcendo gradatim, illam concire poſſet. Sic virum cognoſcimus, qui paucis ante annos tempeſtate exeunte autumnali, diarrhoea quotannis tentatus eſt, dein vero cum luſtrum octavum fere expleviſſet, illa, podagra excipiente, ceſſavit ex toto. Haec autem, e contra, eodem anni tempore, inde paroxyſmos

roxyſmos ad quartam vicem uſque redintegravit.

Hujus morbi cauſa proxima e motu periſtaltico inteſtinorum citatiore conſtare videtur, ſub quo haec non ſolum crebrius contrahuntur, ſed etiam repetito ſuo actu, humores aliunde ad primas vias feruntur, et mucus praeſertim e glandulis inteſtinorum uberius ſecernitur*. Unde ratio patet, quare in hoc morbo alvi evacuatio adeo frequens eſt.

Nullam aliam cauſam proximiorem agnoſcimus: Certe inteſtinorum debilitas ſola, ut indubitata et quotidiana exempla ſatis demonſtrant, pari ratione agere neutiquam valet. Et ex ſententia mea, ſphincteris ani laxitas pro cauſa minus juſte habetur; eo enim muſculo ex fiſtulae callo ſecato, alvus ideo non fere percita eſt. Quantum vero, e contra, ſola actio inteſtinorum, utcunque invito homine, proficere poteſt, nemini

* Vid. Junc. ill. conſpectus pathol. tab. xiii. de morbis primarum viarum.

nemini latet. Atque praeterea Wepferi experimentum, ſi neceſſarium eſſet, hanc rem loco illuſtri poſuit. Catello vitri antimonii ſcrupulum cum lacte dedit, atque, poſt tertiam horam, abdomen incidit, vulnere amplo facto, inteſtina et ventriculus cum impetu prorumpebat. Ventriculus ſupra modum diſtentus erat. Inteſtinis prorſus denudatis, et extra abdomen propendentibus, nihilominus faeces flavas conſiſtentiae prope naturalis exoneravit; videbatur motus inteſtinorum periſtalticus*. Quo in caſu faeces vi inteſtinorum, ut patet, expulſae ſunt.

Quamvis autem diarrhoeam huic cauſae tribuendam diximus, non inficiamur tamen, quod ejus ſtatus, pro diverſa aetate, ſexu, vitae genere, et corporis ſeorſim valetudine, ratione majoris et minoris, variantes, praxin quodammodo diſſimilem poſtulare poſſint.

Ut in aliis morbis, de exitu praeſagium, ex notis ſalutis aut mortis valentioribus ſumendum eſt; perinde diarrhoea, utpote ſymptomata ejus levia ſunt facile ſanari ſolet. Mulieres vero, quam

* Cicut. aquat. hiſt. et noxae cap. 20. p. 321.

quam viri, ſenes et pueri, quam juvenes, difficilius eam ſuſtinent. Item, ſi aegrotus ad ſanitatem reſtitueretur, in morbum deinceps facilius incidit. Speſque minor erit, quo vetuſtius vitium eſt. Illuſtris B. V. Swieten teſtatur, ſe diarrhoeas vidiſſe, in initio neglectas per annos, quacunque excogitaretur methodo, immedicabiles duraſſe *.

Periculum autem ſummum eſt quando diarrhoea aliis morbis ſupervenerit; quippe in his, vires, ſive jamjam abſumptae ſunt, ſive licet in principio validae fuerint, inteſtinis vitio fixo et permanente laeſis, hae ſerius ocyuſve imminuuntur. Si tamen malum prius leve fuerit, alterum ei plerumque reſpondebit.

Diarrhoea a quibuſdam auctoribus inter ſalutis molimina annumerata eſt, et perquirendum videtur, num tales morbi facies revera exiſtant, et quando ſiſtendae ſint?

† C Riverius,

* Comment. de diarrhoea febrili, tom. 2. p. 383.

Riverius, in prax. med. lib. XVII. sect. 3. cap. 1. de feb. pest. animadvertit, hunc morbum in principio morbi saepe salubriter fluere, quod etiam aliquando esse lethale signum experientia docuit. Rursum, praemissa aliqua coctione, visus est ab alvi fluxu laborans interimi, nonnunquam vero liberari. Ita tamen distinguendum est. Cum venenosa qualitas praepollet, quo magis a principio, per alvi fluxum prolabitur materia, eo securior est; at, cum ex humorum putredine majore parte morbus oritur, deterius se habent, quibus alvus a principio solvitur. Narratque Trallianus * se aegros vidisse magnum periculum incidere, ita ut phrenitici, aut lethargici efficerentur, doloresque capitis, aut perniciosae in iis parotides excitarentur, si venter initio affectus ad quartum quintumve diem profluxerit, et postea fluor aut per se, aut medici auxilio, substiterit. Quomodo vero id ab hoc genere symptomatum, nisi minore gradu, qui tamen extra limites sanitatis ponitur, variat (ut credimus rem se habere), ex horum virorum praeclarissimorum

* P. 420. de alv. profluvio.

praeclarissimorum notationibus deducere difficillimum esset.

Praeterea, medicorum monumenta ex aevo remotiore conservata, cum recentiorum experientia super hac re tam parum conveniunt, ut verisimile sit, si forte temporarium diarrhoeae in quibusdam morbis sthenicis effectum exciperes, ingentem rerum varietatem, qua omnis morbus cingitur, eatenus medicos in errorem induxisse, quoad id alvi fluxioni adscripserunt, quod alia de causa ortum est. Illique sententiae, quae, nimirum, diarrhoeae salutem fere negligit, facilius accedo. Nam concesso, quod ejus effectus in principio minus laederint, attamen non minus verum manebit, eos neutiquam perstare posse, quin corpus inde summam noxam acceperit, morbisque efficacissime auxiliamur quam primum obstando. Adeoque, quod ad curationem pertinet, haec a principio ad finem morbi usque tentanda est. Ubi autem ad casus singulares adhibetur, omnia morbi phaenomena corporisque natura curiose perspici debent. Sunt enim non solum varii ejus status opportunitatem praestantes, ut supra dictum est,

sed

ſed item motus periſtalticus inteſtinorum vi praeter crebritatem eouſque variare poſſit, ut praxis diſſimilis poſtulari queat. Quam diſcrepantiam attentus medicus agnoſcet plerumque, prout inflammationis, aut aſtheniae notae, maxime valeant.

Quoniam igitur diarrhoeae pathologia cuipiam curationi univerſali nullum fundamentum jacit, ac diverſae, prout res poſtulent, methodi perſequendae ſunt; in remediis illius morbi tradendis, quicquid docuerit experientia, ordine neglecta, tantum referemus.

Venaeſectio quibuſdam diarrhoeae caſibus plurimum opis attuliſſe, optimis auctoribus memoratur; et ergo ne penitus praetervidenda eſt. Ut vero aegroti vires uſque exacte perſpici non poſſunt, ac morbo incrementum ſumente, languere cito incipiunt, praeſtat plerumque ſanguinem non emittere. Neque in genere purgatione opus eſt; alvus enim morbo ipſo faecibus liberatur; et purgantia, cum inteſtina recte ſtimulent, ideo cauſam morbi adaugere poſſint. Si nihilominus tamen illa neceſſaria

eſſe

esse crederes, e salibus mediis seligenda sunt. Et post eorum operationem absolutam, si metus sit, ne fluor alvi nimius sequeretur, clysmata idonea injici possint. Rhabarbarum et Rhaponticum, quae utpote quoniam una cum vi purgante manifestam astrictionem habeant, eligi solita sunt, stimulo suo intestina magis irritant quam tuto fieri possit. Atque ob hanc causam etiam, cathartica valentiora, quoad discere possumus, summa cura evitanda sunt.

Vomitus inter evacuantia, diarrhoeae curationi responsura, utilissimus esse videtur. Ne tamen, vehementi corporis agitatione, aliquid offensae aegro attrahi possit, ille nimis valentibus medicamentis fieri non oporteret. Itaque omnibus aliis palmam praeripit vulgare illud, et facile parabile medicamentum, ipecacuanhae radix, quae etiam infantibus tuto dari possit, atque ob vires, tanquam diarrhoeae remedium, nostris etiamnum temporibus summa laude celebratur. Cum autem aliquando, rarius tamen, accidat, quod vomitus vehemens, incipiente diarrhoea, item urget, tum requiritur ut aegrotus, quantum fieri possit, se quieti daret, eadem-

que

que ratione arbitramur auxilium ex hauſtibus ſalinis effervescentibus potius, quam emeticis, in talibus caſibus eſſe quaerendum. Sique id non ſufficeret, opium caute adhiberi poteſt.

Intereſt item, ubi ſitis moleſtiam fecerit, eam quam primum ſedare. Nihilque ad hoc propoſitum magis proficiet, quam acidum vitriolicum aquae ad gratum acorem immiſtum. Acida enim vegetabilia dolorem plerumque creant, quodque experti ſumus, alvum facilius reſolvunt.

Inſuper aegroti cibo et potione quae conveniunt, frigidis in genere uti poſſint. Sic memini caſum vidiſſe, ubi nullum alimenti genus per aliquot dies aſſumere potuiſſet hoc morbo laborans, quin vomitus violentiſſimus inde exciperet, donec ingenti ſiti et calore exagitatus, lactem cum glacie tentaverit, quod adeo felici ſucceſſu ſtipatum eſt, ut poſtea a vomitu immunis reſtitit, quamvis per plures dies id pro potu communi ingerebatur.

Opium, omni morbi tempore, ubi imbecillitas urgeat, ac morbus inflammationis particeps

eſſe

esse non videatur, ut ubique in suis operibus docuerunt auctores, usuque hodiernus confirmavit, plerumque tutissimum est; ac usurpari puto. Atque, etiamsi per plures hebdomadas quotidie daretur, nulla ratio erit, cur periculum inde proventurum, ut multum metueretur.

Quanquam autem ista concesserim, non tamen utique sequitur, quin ob rationes recensitas commonere vellem, ne quis illi sententiae nimium auscultaret, quae, quam primum morbus ingruere sentitur, omnibus in casibus, opium propinari praecipit: Ac specialius quidem, quando ipse ego tristi edoctus experientia, nocivos ejus effectus, sine discrimine adhibiti, pulchre meminero.

Putaverunt quidam, compositiones officinales, quae opium ingreditur, julapium sistens et elixir paregoricum, illi anteponendas esse. Equidem et casum in nosocomio Edinensi vidi, ubi elixir paregoricum gravissimam hydropici diarrhoeam, aliis inexpugnabilem remediis, compes-

cere visum est; nec inficiandum est, stimulum modicum quandoque responsurum, ubi validior laederet. Haec tamen remedia, ex sententia mea, nulla alia ratione prae aliis valere possint. Quippe in diarrhoeis curandis, medicamenta optime solida forma exhibentur, ut diutius in primis viis haereant, et partim in intestinis digerantur. In his vero soluta dantur. Clysmata similium amylo mistorum, eodem cum fructu, et quidem majore, injecta sunt. Ut autem hunc usum habeant, quamdiu possint, retineri debent; eoque cavendum ne mole sua intestina irritent. In adultis, quinque sexve unciarum quantitatem non excederent, sicque pro juventutis ratione.

Notum est item quotidianis observatis, vinum generosum, imprimis rubrum, quod astringentem vim simul habet, idonea copia sumpta, diarrhoeae, praesertim in senili aetate, summo auxilio esse. Æque autem cura, atque in usu opii, hic desideratur. Id enim, initio morbi datum, multum damni efficit, et eo magis, quo magis ratio erit, cur diathesin phlogisticam corporis suspiceremus. Idcirco juniores et validiores, incipiente morbo, eo plerumque prohibendi sunt. Item quoties, sive morbus prodigo acidorum usu, sive illis caeteris

de

de causis primis viis laedentibus accesserit, vino abstinere juvabit. Attamen non dissimulandum est, id omnibus in aliis exemplis, quibus motus intestinorum peristalticus auctior, cum debilitate conjungi videtur, optimum remedium fore. Saepeque ab opio ad illud, ab illo ad opium transire, illaque eodem tempore assumere prodest.

Idem effecerunt ipecacuanhae granum, granum unum cum semisse, vel duo mane, et vespere insequente, opii aliquantulum, usurpata *. Sed per aliquot dies eam sumi expedit. Et praeter caetera effecta, quae modice stimulando, concire assuescunt, ad spasmum summae corporis partis, sive causam sive eventum, solvendum, materiaeque per cutem transpirantis meatum liberum, conferunt. Ob quam causam, illis morbi speciebus a frigore ortis, ejusve potentia continuatis praecipue conveniunt, et, ut plurimum in more fuit, illa permiscere, ut idem finis plenius perfici posset. Nec ambigitur, quod summo cum aegrotantium auxilio, ac emolu-

* Vid. celeb. Fothergill apud med. obs. et inq. vol. 6.

mento ea tentata fuerint; immo etiam, ubi nihil aliud profuerit, levaſſe viſa ſunt. Verum praeſtat plerumque abſtinere a vomitu. Is enim totum corpus debilitat; et, etiamſi motus inteſtinorum periſtalticus aliquatenus inverti poteſt, is ita temporarius eſt, ut dubitemus, num aeſtimari mereatur. Sique exiſteret acris materia, vix e corpore hac via educenda eſt.

Quin obſervatum eſt, ferri praeparationes, corticem Peruvianum, cicutae extractum *, caſcarillae lignique Campechenſis decocta, terram Japonicam, meſpilaque immatura, hujus morbi remedia fuiſſe. Forte et tinctura cantharidum eidem propoſito inſerviret. *Corticem Peruvianum*, niſi ubi diatheſis phlogiſtica eſt, recte dari ſentires; atque edocemur, diarrhoeam, quae dyſenteriam ſequitur, per hujus remedii uſum ſublatam eſſe †. Oportet autem, ſicut is purgare poteſt, laudanum cum illo conjungere. *Cicutae extractum*, ut diarrhoeae remedium, raro exquiſitum

* Ill. Greg. praelectiones.

† Phyſ. et literar. opuſcul. vol. iii.

quiſitum eſt; et me judice recte: Alvum enim plerumque movet, et ubi vires deſidendo prius exhauſtae fuerint, perniciofum eſt: Aut puta illas ſinere, nulla ratio quare exhiberetur reperta eſt. Semel id expertum, ſed abſque auxilio vidimus. *Caſcarillae corticis decoctum* etiam ventrem reſolvere, doloreſque ciere, exiſtimamus. Id tamen cum ligno Campechenſi, ut adſolet, temperanter uſurpari poteſt.

Terra Japonica aliis medicamentis miſta, plerumque datur, et dubitatum eſt, num virtutes illi vulgo decretae, uſus teſtimonio fuerint concordes. Novi tamen ſtimulos lenes in diarrhoea curanda ex aequo cum validioribus aliquando pollere; et idcirco virtutem illi quandam ineſſe crediderim.

Denique, diarrhoeae hepatitidi ſupervenienti, ſub qua, viribus deficientibus, grave diſcrimen ſubiit laborans, tincturam cantharidum per errorem datam levamini eſſe vidimus. Forſitan vero leniora remedia, etſi hoc in exemplo defecerunt tentata, ex aequo fere prodeſſe poſſint. Libuit tamen id referre, dignum exiſtimans, eo

quia

quia neceſſitate impellente periculum repeti poteſt, ac unde aliquatenus colligitur, diarrhoeam, morbo relato ſupervenientem, amplius corporis totius infirmitati, quam fluidorum intemperiei, debere.

Quantum navigationem coelique mutationem reſpicit, in provectiore morbi ſtadio aptiſſimae ſunt. Atque in America ubi hujus rei cauſa, frigidiore coelo relicto, calidius navibus quandoque aditur, diarrhoeas graviſſimas, praeſertim vero illas a variolis ortas, poſtquam caetera nihil profeciſſent, ideo ſublatas, non ſemel novimus. Ne autem terra quam quaerunt mutata frigidior ſit cavendum eſt; imbribuſque foeda univerſe vitanda eſt. Neſcimus an corpus alio modo dimotum idem praeſtitit; ſed ubi navigare non commodum eſt, id experiri debet.

Ubi ex acidis, aceſcentibus, ac quibuſdam aliis ſtimulis, ut puta ulcerum materiis, plectuntur inteſtina, haec remedia minore eventu ſumuntur. Demulcentia autem et reſorbentia, vim illis quodammodo detrectant. Hinc decoctum verbaſci et potio cretacea, ſiquidem id praeſtant,

ſtant, meritam laudem adſecuta ſunt. Sed in his exemplis tantummodo illa utiliſſima eſſe videntur. Quidam potionem dederunt, ut miſceretur lenior materia corruptae. Tamen, ut vis humoris, quae huic propoſito convenire poſſet, inteſtina etiam movet, cauſamque morbi non ſuperatam relinquit, ille, niſi ubi ſitis urgeat, vix aſſumi debet.

Diaeta etiam conſpirare oportet. Cauſae quae morbum concitaverint fugiendae. Cibi facilis concoctionis eſſe debent; in juris carnium et gelatinis horum conſiſterent; ac potum vino rubro temperare utile erit.

F I N I S.

E R R A T A.

Pag. 3. lin.	13.	*pro* exempla *lege* exempli.
	19	*pro* repleri *lege* replere.
7.	20.	*pro* cient *lege* ciet.
12.	3.	*pro* ſimpliciis *lege* ſimplicius.
13.	13.	*pro* quacum *lege* quocum.
14.	20.	*pro* annos *lege* annis.
16.	6.	*pro* prorumpebat *lege* prorumpebant.